




CAROLI POREE  
E SOCIETATE JESU  
SACERDOTIS  
ORATIONES  
DIDASCALICÆ.

NOVA APUD GERMANOS EDITIO  
RECOGNITA ET EMENDATA.



CUM FACULTATE SUPERIORUM.

---

*Moguntia & Francofurti ad Mœnum,*  
Impensis FRANCISCI VARRENTRAPP.  
M D C C L V.

# SYLLABUS

## ORATIONUM DIDASCALICARUM.



ORATIO I. *De Eloquentia.* Quare varia sit apud varias gentes, mutabilis apud eandem gentem Eloquentiæ forma ?

ORATIO II. *De Satyra.* Utrum Satyra in civitate bene morata, & quatenus admittenda sit ?

ORATIO III. *De Panegyricis Orationibus.*

ORATIO IV. *De Criticis.*

ORATIO V. *De Theatro.* Theatrum sit ne, vel esse possit Schola informandi moribus idonea.

ORATIO VI. *De Libris,* qui vulgo dicuntur *Romanes.*





calamitates, vel ineptias in lucem urbanam protulit, quot suffragatores vidit, qui plauderent? Quot reprehensores audivit, qui reclamarent? Athenæ, postquam Theatri magnificentiam immensis amplificaverunt sumptibus, ejusdem subinde maledicentiam edictis coercuerunt severissimis. Roma, quæ Athenas æmulata, Theatrum excitavit superbissimum ipsis adnitentibus Urbis Censoribus, mox idem sustulit, suadente Consule, approbante Senatu, & omnia ejus ornamenta hastæ subjecta vendidit.

GALLIA, quæ Atticam Theatri excellentiam attigit, Romanam superavit, in diversas quoque abire de Theatro sententias; ipsaque facta est Theatrum contentionis super eâ re frequentissimum. Vidit illa superiore sæculo, exortam de hoc argumento magnam, inter viros ingenio & doctrinâ conspicuos, discrepantiam opinionum. Quantis utrimque studiis & animis dimicatum est? Stabant alteri pro Theatro, & illud probationum congerie, exemplorum numero, verendorum etiam nominum auctoritate muniebant. Pugnabant alteri contra Theatrum, & ipsum testimoniis Patrum, Decretis Conciliorum, Ecclesiæ censuris impetebant. Validâ manu intorquebantur tela ex sacro armamentario deprompta; sed eludebantur pleraque levi declinatione, & in petulantem, vel superstitiosam veteris Theatri licentiam detorquebantur. Recrudescibat pugna, & quæ opprobria in Thea-

trum vetus congesta fuerant, hæc forme singula in novum aptè convenire discretissimis verbis pronunciabatur. Neque minùs in privatis colloquiis, quàm in scriptis publicis ferebat æstus dimicationis. Imò tanto ibi certabatur acriùs, quantò liberiùs.

QUIS demum exitus pugnae fuit? qui praeliorum ancipitum esse solet, in quibus (jure an injuriâ) palma utrimque vindicatur à dimicantibus, vel in dubio relinquitur. Theatri defensores, si paucos excipias, quamvis gravibus confixi vulneribus, quia castris exuti non erant, de clade suâ confiteri noluerunt. Theatri impugnatores, licet armis superiores, quia tamen adversarios auctoritate publicâ munitos non potuerunt movere loco, vix ausi sunt de suâ victoriâ prædicare. Sic itaque vicit causa melior, ut in possessione suâ permaneret deterior, & de meliore quodammodo triumpharet. Pergunt quidem sacri Oratores eloquio tonare de suggestu & sua fulmina in Theatrales conventus extento brachio jaculari. Sed in suâ quoque sententiâ perseverant Theatriassectæ, & illud densâ coronâ protegunt.

IN tantâ, tam pertinaci opinionum discordiâ quid mihi hodiernò die constitutum est? Conciliantis partes agere, & aliquid proponere, quo possint homines veritatis studiosi ad concordiam proximè adduci. Quod ut planius fiat, totam controversiam ad duo capita revoco; & quaero, *Theatrum, sit- na,*

vel esse possit, Schola informandis moribus idonea? Sic autem geminæ quæstioni bipartitâ oratione respondeo. *Theatrum Schola informandis moribus idonea naturâ suâ esse potest; culpâ nostrâ, non est.* Expendam igitur primum, qualem in Theatro Scholam habere possimus; deinde qualem habeamus. In utroque disceptationis capite versabor, non ut Theologus, cujus officium hîc non suscipio; non ut Censor, cujus auctoritatem non habeo; non ut Philosophus, cujus subtilitatem meâ non recipit oratio. Sic tamen agam, ut veritatis indagator, cujus me cupidum esse sentio; ut civis, cujus munia ubique servare decet; ut Christianus, cujus officia nunquam licet deserere. Vos, Auditores, Judicium munus pro vestrâ æquitate & prudentiâ sustinere.

ADSUNT, qui vobis in judicando præsent, idonei controversiarum arbitri; imprimis duo Cardinales Eminentissimi; quorum alter (a) universæ poëseos æstimator peritus, eximius idem poëta, & impietatis Luctretianæ debellator egregius, omnium socius Academiarum, omnes Academicas opes congestas circumfert pectore; versatus frequentissimè in amplissimo Europæ Theatro cum dignitate & potestate, non spectator otiosus, sed factus ipse suâ volûts majestate, suâ mentis excelitate, suâ ingenii dexteritate, suâ elo-

(a) Card. de Polignac.



quentiæ suavitate magnum & jucundum populi, Regibus, summisque Pontificibus spectaculum.

ALTER (a) verò timidus spectari, nec spectare cupidus, latere vult, nec potest, lucem fugit, quam suâ eruditione spargit, & ubique fuget; pugnat cum versutis Ecclesiæ hostibus, non astutiâ, sed fortitudine, tantò aprior ad judicandum de rebus, siue ad fidem, siue ad mores pertinentibus, quando simpliciior ipse moribus, & animo candidior. Taliū sententiis judicum quis refragari audeat? Ego quidem, in præsentî controversiâ quidquid statuerint, id me toto amplecti animo jam nunc apertè profiteor.

## PRIMA PARS.

SCHOLA informandis moribus idonea quam intelligi debet? Ea, non fallor, quæ præceptis vel exemplis instructa sit idoneis. Quid enim est quòd Philosophis, quid est quòd Historiâ in Scholarum & quidem optimarum numero reponantur? nisi quòd altera det præcepta, altera verò exempla subministrat. Sed utroque ex capite, ex præceptis nimirum & exemplis Theatrum Scholæ fieri potest ad mores informandos idonea; & utroque nomine illud aio posse cum Philosophiâ, & Historiâ de Scholæ præstantiâ contendere. Quod tamen sine arrogantia dictum velim cum debita utrique disciplinæ reverentiâ.

(a) Card. de Bissy.

DE Philosophiæ Scholâ , præfertim veteri , nemo dubitat quin præceptis morum abundet. Cùm enim spectet hominem in omni vitæ genere , hoc est vel ut relictum sibi , vel ut occupatum domi , vel ut civilibus implicatum negotiis , atque ipsum in hoc triplici statu erudiendum suscipiat , amplius ei certè præcipiendi campus aperitur.

VERUM an minùs patet , qui datur in Theatro præceptioni locus ? Estne aliqua humanæ vitæ conditio , infima , media , summa , quam Musa Theatri magistra non assumat erudiendum , vel possit assumere ? Nonne ad hoc Opifices ex officinis , Milites ex castris , Mercatores ex foro , Judices ex Curiâ , Aulicos ex Regiâ , ipsos ex Aulâ Reges in Scenam evocat ?

EST-NE aliquid privatum vel publicum , domesticum vel civile officium , de quo non admoneat ? Nonne indicat quid parentes liberis , & liberi parentibus ; quid servi dominis , & servis domini ; quid clientes patronis , & patroni clientibus ; quid cives magistratibus , & civibus invicem Magistratus debeant ?

EST-NE aliquod virtutis genus , quod non suadeat ? Nonne patientiam in adversis , modestiam in prosperis , constantiam in promissis , fidem in amicitis , clementiam erga inimicos , misericordiam erga ærumnosos , æquitatem erga universos commendat ?

EST-NE aliqua vitii species , à quâ non absterreat ? Nonne avaritiæ sordes , prodi-

gentiæ largitiones, maledicentiæ aculeos, adulationis laqueos, simulationis fallacias, ostentationis ineptias reprehendit ?

EST-NE aliqua in moribus universis pravitatis, quam non emendet ? Si quid in convivio asperum, in sermone putidum, in cultu agreste, in vestitu abnorme ; si quid in aliquâ vitæ parte, aut ullo in genere insolens, vel insulsum, ultra vel citra decorum, nonne id totum improbat & castigat ? Ista quidem observare, vel notare non dignatur Philosophia, quæ in moribus nihil arguit, nisi quod officii culpæ sit : sed Theatri Schola ulterius progreditur. Nihil dissimulat quod sit quoquo modo animadversione dignum ; neque id solum cavet ne homo improbus sit, sed etiam ne impune sit inficetus.

VIDETIS, Auditores, quanta se aperiat in Theatro præcipiendi materia ; at unde præcepta fumentur idonea ? Ex triplici fonte. Ex humanâ primum stultitiâ, qui fons est multò uberrimus. Admiramini, credo, ex scatebrâ tam lutulentâ quid possit salubritatis accipi ? quod ex ipsis accipitur venenorum succis, qui contra morsus veneniferos antidotum quandoque sufficiunt præsentissimum. Nam ex insulis hominum fatuorum ineptiis, Poëta *Drumatiens* ridiculum exprimere potest falsissimum, quo nullum sit remedium adversus fatuitatem potentias.

NEQUE tamen in faceto ridiculi fonte hæret Poëta prudens ; accedet ad lampida hu-

fontem sapientiæ fluens. His labra non minus proluet, quam liquore Aganippæo. Inde hauriet latices ad restringenda cupiditatum incendia, & ad purganda animi vitia efficaces.

QUIDNI autem se conferat ad ipsum divinæ sapientiæ fontem? Nam hic quoque *Dramatico* Poëtæ apertus est. Parcius ex eo quidem ac reverentius præcepta depromet. Ut enim in medicamentis quibusdam auri usus est, sed rarus & modicus ita sacrarum opum usura in documentis Theatri moralibus verecunda sit oportet, atque infrequens. Nisi fortè aliter suadeat gravitas morbi, vel argumenti sanctitas. Tunc enim ad instillandum pietatis studium, vel odium impietatis, quis dubitet penitus recludere divinæ sapientiæ fontem, & pectora rore sacro plenius irrigate?

HACTENUS in Theatro reperimus præceptionum argumenta & fontes. Sequitur & superest, ut reperiamus idoneum præcipiendi modum. Quid autem reperendum esse dico? Jam repertus est. Non ille quidem proprius Philosophorum, imò diversus maxime, sed non minus ad morum disciplinam, & ad discipulorum indolem accommodatus.

O Superi! exclamabit hæc, opinor, Philosophus aliquis submorosus, tantamne Philosophis & Philosophiæ imponi contumeliam, ut ludicra præcipiendi ratio cum gravissimâ docendi methodo in contentionem adducatur? Non

quælo reclamare, vir sapiens, quisquis es. Ego tanti Philosophiam & Philosophos, ipsamque Philosophicam docendi methodum facio, quanti tu ipse facis. Peto à te cum bonâ veniâ, ne scenicam præcipiendi rationem tantopere despicias, neve tuam tanto anteponas intervallo. Confer utramque tacitus, vel à me palam conferri finito.

Tu nos de moribus doces apertè, & cum apertâ docendi professione. Laudo: nam egregiam artem profiteris. Verùm an minus convenienter ad hominum indolem & infirmitatem facit Poëta *Dramaticus*, qui nostros mores erudit occultè, dissimulanter, omisso præceptoris & præceptionis nomine? Sumus enim puerorum similes, quotquot animo ægrotamus; fallendi sumus cum nobis porrigitur medicina, ipsùmque potionis medicatæ nomen dissimulandum est, ne, quod prodest, abhorreamus.

Tu nos doces pugnaciter; & argumentando conaris assensum ab invitis quoque & reluctantibus extorquere. Non improbo. Pugnas pro veritate, & virtute: utraque animos debet volentes nolentes ad se pertrahere. Verùm an minus sapienter Theatralis Poëta, qui nos ad veritatem & virtutem trahit alliciendo, non evincendo? Sumus enim libertatis retinentes; invitari malumus, quàm expugnari.

Tu nostras cupiditates castigas severè; & merito quidem; nam illæ sunt indulgentiâ  
 pror-

prorsus indignæ. Verùm an minùs sagaciter Poëta Tragicus, qui nos emendat humaniter, & nostris indolet ànimi morbis: Sumus enim curatu difficiles, medicos volumus qui nos sciant esse homines; & se cum hominibus agere sentiant.

Tu insaniam nostram stomachosè increpas, & cum indignatione. Non miror. Quis enim stoliditatem nostram patienter ferat? Verùm an minùs callidè Poëta Comicus, qui nos arguit jocosè, & ridendo corripit? Sic enim sumus plerique omnes, iracundiam ridemus, irrisionem reformidamus.

Tu de officiis nostris disputas verbosè. Non vitupero. Eam sequeris disciplinam quæ proponendo, confirmando, refellendo, te faciat necessariò verbosum. Verùm an minùs commodè Poëta scenicus, qui differit breviter plerumque, & magnum sæpe documentum unâ clausit sententiâ, ipsamque sententiam uno versiculo comprehendit? Sumus amantes brevitatis; doceri multa volumus, sed paucis.

Tu de moribus ànimi subtiliter philosopharis, sed exiliter plerumque, & siccè. Non reprehendo. Definire, dividere, articulatim dicere tuum est, non movere. Verùm an minùs congruenter Poëta noster, qui dolet, irascitur, terret, deprecatur? Mente constamus & ànimo. Doceri volumus & moveri: neque docemur satis, nisi moveamur.



que dabit : sed levia plerumque miscabit gravibus, ne quid per incuriam videatur prætermittere. *Musa Dramatica* nihil offerret nisi probati ponderis ; levia negliget, & per diligentiam præteribit.

EXEMPLA desideratis proba, quæ virtutem munerando, vitium puniendo invitent ad alteram, & ab altero deterreant ? Talia semper optabit Historia ; sed contraria non rarò suggeret, vel invita. Sæpe virtutes ærumnolas, sæpe crimina felicia cogetur exponere. Aliud quidem postulat boni exempli ratio ; sed hoc flagitat narrationis historicæ fides. *Musa Dramatica* nihil proponet nisi salubre. Si virtutem exercuerit in *Dramatis* cursu, coronabit in exitu : si contra vitio lætum dederit cursum, dabit tristem exitum. Hoc petit exempli utilitas, & patitur poëseos *Dramatica* libertas.

EXEMPLA poscitis non solum per se optima, sed etiam proposita optimè & in optimo lumine collocata ; quæ luceant simul & moveant. Hic verò triumphat quodammodo *Musa Dramatica*, & Historicam longè superat.

SI quid enim splendoris habeant exempla quædam, vel cum leguntur in umbrâ domesticâ, & subjiciuntur oculis nudæ, sine colore, sine ornatu, solis vestita verbis ; quanto plus habent fulgoris cum spectantur in luce Theatri clarissimâ, & offeruntur in Actorum personâ suis inducæ vestibus, suis distincta colo-



ribus; suis ornata insignibus, cum magnificentissimo Scenæ apparatu ?

Si quid habent vitæ exempla quæpiam, vel cum inanimis sunt commissa chartis, & affixa litteris mutis, vel loquacibus sine sono; quantò plus habent animæ, cum vivunt in Actoribus, cum moventur, cum loquuntur, elato spiritu, sonorâ voce, & eloquente gestu ? Talia enim exhibentur in scenâ. Ibi omnia sic exprimuntur ad vivum, ut ipsam sæpe vincat imitatio veritatem. Credas revolutò sæculorum ordine, & contracto locorum spatio, te repente in ea translaturum esse loca, & tempora, ubi res quæque acta est, aut renovatâ mundi scenâ rem ipsam renovari coram te, & denuo peragi.

NON jam tibi leguntur in Musæo, aut aliquo Bibliothecæ angulo egregia præcorum Heroum facinora, quos suus in patriam, in parentes, in liberos, in conjuges, in fratres, in amicos amor nobilitavit. Tuis obversantur oculis Heroës isti, tanto post tempore excitati è tumulo, & ad lucem revocati. Vides pias & generosas eorum contentiones. Iterum se neci devovent pro patriâ, pro parentibus, pro liberis, pro conjugibus. Iterum cum fratre frater, amicus cum amico certat, non uter vivat; sed uter moriatur, & vitam alterius vicariâ morte redimat.

NON jam tibi recitantur de codice scripto fortissima Christianorum omnis sexûs & ætatis pro fide & Religione certamina. Te in-

tuente vultus, te audiente voces, truculenti minantur tyranni; & perdunt minas: orant mœsti parentes; & pereunt preces: fient trepidæ sponsæ; nec lacrymæ proficiunt: offertur vita cum deliciis; pulchro fastu repudiatur: proponitur mors cum tormentis; & oculo irretorto conspicitur: pronunciat sententia capitis; & cum aëtionē gratiarum accipitur: moratur carnificis gladius, & moranti occurrit.

NON jam tibi percurruntur in variis litterarum monumentis impiorum hominum, parricidarum, incestorum, proditorum, perduellium ferales exitus & horrenda supplicia. Adsunt tibi facinorosi & illustres rei, quales olim fuerunt in vivis conspicui, aut etiam magis, quàm fuerant aspectabiles. Coram te ardent, furunt, pallent, fremunt. In tuo conspectu dant scelerum pœnas, vel sumunt ipsi de se, orbatî oculis, confossi gladiis, aut vexati tædis Furiarum ardentibus, id est acerbissimis conscientiæ stimulis excarnificati. Talibus exemplis, in tali positis luce, quid horribilius ad vitii fugam? Quid ad virtutis amorem illecebrosius?

QUID quodd non virtutes seorsum à vitiis, aut vitia separatim à virtutibus proponuntur, ut vulgò accidit in historiâ; quæ res singulas eo singulatim narrat ordine, loco, & tempore quo eveniunt: sed altera opponuntur alteris in eodem *Dramate*, quomodo fit in picturâ quæ colores opponit coloribus. At-

quo ita simul oppositi conspiciuntur fortes cum ignavis, placidi cum iracundis, modesti cum arrogantibus, liberales cum avaris, frugales cum decoctoribus, boni cum sceleratis: Ex quo muruo conspectu & objectu reciproco, quantum lucis in virtutem, quantum caliginis in vitium refundi necesse est?

UTRA porro exempla magis valeant ad movendum, an proposita scenicè, an historicè narrata, testificentur nobis, qui & altera legunt in libris, & altera spectant in Theatris. Sine testes ipsi codices historici, qui tam rarè bibunt legentium lacrymas; sit ipsa testis arena amphitheatralis quæ tam crebrò spectantium fletibus immadescit.

Et erunt nunc etiam suspicaces, vel meticulosi homines, qui me temeritatis arguant, quòd sim ausus quærere, Theatrum possit fieri Schola informandis moribus idonea: in quo Theatro hæc reperimus conjuncta duo, quæ, sejuncta Scholam duplicem efficiant, præcepta nimirum & exempla, cum idoneo præcipiendi & proponendi modo? Non ego potius diffidentiae sum accusandus, qui dubitanter illud videar in questionem adducere, quòd non solum patet ex Theatri naturâ, sed etiam quòd ipsâ Philosophiâ judice, & Historiâ teste comprobatum est?

QUID enim fuit, quòd ille Oraculi voce, id est populi suffragio, sapientissimus declaratus Socrates ad Theatrum Euripidis sederet frequens? nisi ut ibi vel recognosceret patris

cepta, quæ tradebat discipulis, vel tradenda exciperet.

QUID fuit, quòd ille Philosophorum subtilissimus Aristoteles de Poësi *Dramaticâ* accuratissimè scribendum susciperet? Nisi, ut qui Scholam in Lycæo habebat validis fundatam principiis, alteram in Theatro constitutam; optimis legibus stabiliret.

QUID erat (ut antiquiora & profana omittam testimonia, vel exempla) quòd ille severâ tum vitæ tum doctrinæ sanctitate commendatissimus Mediolanensium Archiepiscopus ingenium & calamus dispungendis operibus *Dramaticis* adhiberet? nisi quòd illa ritè purgata verti posse crederet ad publicam morum salubritatem.

QUID erat causæ, cur ille regni Gallici sub Ludovico justo administer, mente Hominem, auctoritate Civem supergressus, manum illam Europæ moderatricem admoveret carminibus tragicis (si fas est credere) & quas rei civili, quas rei Ecclesiasticæ, quas rei bellicæ, has quoque rei *Dramaticæ* curas divideret? An ut daret Galliæ ludos, qui tam stupenda orbis terrarum spectacula ediderat? Aliud profectò cogitabat vir consilii plenus. Qui domicilium sacris disciplinis regiâ magnificentiâ posuerat, qui Academiam Gallicam regio patrocinio firmaverat, is quoque ad informandos Regum & civium animos Scholam exemplis regiis & civilibus instructissimam adornari



aspnantur quidem istum exercitationis molestæ fructum, cujus patet usus in totam vitam frequentissimus: sed aliud spectant operæ suæ pretium multò pluris æstimabile. Trajiciunt discipulos ex humili & obscurâ litterarum Scholâ, in Scholam Theatri sublimem & splendidam, ut juvenes magnas olim in Republicâ personas acturi discant mature ea spernere vel amare, quæ in scenâ domesticâ risu vel plausu excipi viderint.

Utrùm id assequantur juventutis moderatores, quod tantâ contentione & animi & corporis confectantur, dicere non est meum. Dicant, si lubet, spectatores ex omni ordine lectissimi, quos non piget ad ejusmodi Theatra convenire, quos non tædet oculos & aures Actoribus pusillis ac prope infantibus commodare; quos non pudet ridere cum ridentibus, flere cum flentibus, & cum discantibus (si quid nescirent) discere. Laudant certè Magistrorum solertiam, qui alumnos doceant oblectando, & ludos juveniles conentur ad morum disciplinam traducere. Atqui non laudarent profectò, nisi traduci posse crederent. Nam neque prudentis est vana conari, neque vanos conatus laudare sapientis.

DE Theatro ad exhibendas Tragedias vel Comœdias erecto jam mihi, opinor, illud facile assentiuntur omnes, posse in eo scholam informandis moribus idoneam consistere. At dubitatur etiamnum, credo, eademne sit

ratio hujus Theatri canonici & lyrici, in quodatur spectaculum haud ita pridem inventum, & omnino singulare; quod quidem ex multis conflatum spectaculis merito dixerimus unum & multiplex; quod ex Tragedia Græca natum, vix aliquid maternam retinet; cujus ea commentatio est, ut inter *dramata* ad veras artis *dramaticæ* regulas exacta, promostro haberi debeat; cujus ea cognatio est cum nostris, & quod magnam excitet videnti cupiditatem; & quod genuinis naturæ operibus magis videatur admirabile; & quod plus admirabilitatis habeat quam veras laudis.

EXPECTATIS haud dubiè de isto recentioris Theatri spectaculo quid sentiam; & est fortasse qui me de illo suspiciosè & malignè interroget. Cui priusquam respondeo, pauca lubet percontari. Ante omnia illud quaero à te, qui meam sententiam expetis, quid sentias de cantu symphonico? Illumne, suapte naturâ nocivum existimes? Nequaquam certè: ut enim ad mollis & lasciva inflecti, sic ad severa & heroica intendi potest: & in Theatrali scenâ ad severitatem quandoque intenditur. Nunc illud sciscitor, quid tibi videatur de saltatione (quoniam in *dramate* Musico partes secundas obtinet) illamne omnino improbes? Hic te paululum hærerè video. At in motu pedum ad numeros composito, in facili brachiorum jactatione, in agili vel concinnâ liberatione corporis nihil

est quod reprehendas, si protervum sit nihil, & indecorum. Illam itaque admittis? Pene est. Jam scire pervelim credasne heroum facta & laudes posse Lyricis comprehendere verbis, & modis musicis alligari? Id verò facile concedes. Rectè. Procedo longius, & quæro quid censeas de virtutibus heroum modulato celebratis carmine? Possintne demulcere aures, subire animos, & pulchræ laudis æmulationem accendere? Id quærendum esse negas, quod nemo nisi surdus, vel stupidus, auribus & animo non persentiscat. Optimè. Nihil à te quæro amplius. Sed neque tu de me quicquam debes ultra quærere. Quod mihi respondisti, id tibi à me responsum habe. Censeo itaque, & mecum sentias oportet, illud quoque Theatrum, quod recitando *dramati* Musico addictum est, fieri posse informandis moribus habile.

DA mihi generosum aliquod facinus ad normam *dramatis* Lyrici rite concinnatum; da versus fluentes molliter, tamen sententis graves; da resonantes suaviter numeros, nihilque minus virile quidpiam spirantes. Adde saltationes cum severitate faciles, cum modestiâ leves, hærentes cum ipso carminis argumento, ipsasque motu suo vim murræ poëseos obtinentes; tum ego tibi in ipso Theatro Musico Scholam dabo oblectandis simul animis, & ad virtutem excitandis idoneam.



AT enim, si Theatrum universum partu-  
riendis bonis frugibus naturâ suâ opportu-  
num est, quidnam de illo universo tam malè  
sentiunt & loquuntur universi pietate & doc-  
trinâ insignes viri, qui bonis moribus con-  
sultum volunt? Nego ab universis doctrina  
& pietate insignibus viris Theatrum repro-  
bari universum. Dico Theatra quædam in  
scriptis eâ de re gravissimis excipi, non mo-  
dò cum veniâ & absque censurâ, sed etiam  
cum laude & commendatione. Cur autem  
apud Censores morum pios & eruditos in  
ipso Theatri nomine impressa hæreat igno-  
minia nota, in promptu causa est. Illorum  
nemo investigavit quid Theatrum naturâ suâ  
possit esse: omnes exploraverunt, quid ipsâ  
re sit; & ex eo, quod est, ipsum æstimave-  
runt. Nos inquiramus idem parte orationis  
alterâ, & oculos ad publica Theatri specta-  
cula adjiciamus, quantum licet & decet, ut  
ex ipso, quid sit, qualis in eo Schola sit, exis-  
timemus.

## S E C U N D A P A R S.

**Q**UÆ res naturam habet ut per artem recta  
fieri possit vel prava, ea plerumque nos-  
tro vitio in malam partem inclinatur; usque  
adeo sumus aversi à recto, & ad pravum in-  
genio proclives. Atque illud in Theatro ad-  
verti maximè potest, quod naturâ suâ cum  
possit esse Schola virtuti peridonea, factum

est culpâ nostrâ Schola nequitiae magistra. Quorum autem potissimum culpâ id factum est? Auctorum primò, Aëtorum deinde, ac denique Spectatorum. Quasi, qui ad utilitatem Theatri pro suo quisque officio animum conferre debuerunt ex compaëto, ad ejus perniciem suo quisque vitio, tanquam ex condicëto incumberent.

VESTRA omnium prima culpa est, Poëtæ *Dramatici*, qui à fine poësi *dramaticæ* posito aberratis. Non intelligitis, quia non vultis intelligere, quid exigat muneris vestri ratio, quid *Dramatis* naturâ postulet.

UTRUMQUE intellexerunt illi Tragœdiæ & Comœdiæ Principes qui Theatrum Athenis excitaverunt. Non arbitrati sunt licere sibi vanum & sterile in Republica Poëtæ nomen gerere, quoniam id Poëseos genus profiterentur, quod esset naturâ suâ fertile & frugiferum. Putaverunt se in civitate sua publico fungi munere, quippe qui auctôritate publica publicum darent civibus spectaculum. Sic induxerunt animum sibi tacita voce patriæ demandari Philosophorum munia apud imperitam multitudinem, officia censorum apud improbum vulgus, vel inficetum: proindèque suum esse sapientiam docere in Tragœdiis, censuram in Comœdiis exercere. Neque verò spectandum esse undenam ortum ducerent Tragœdia & Comœdia, vel quonam fuissent educatæ modo; sed considerandum quid naturâ suâ possent efficere, postquam essent

ex pagis in urbem, ex plautro in Theatrum cum decenti habitu receptæ. Sic ergo suas utrique partes distribui censuerunt oportere, ut Tragoedia terrendo & miserando temperaret cupiditates; Comœdia ridendo & carpendo pravitates corrigeret. Hæc illorum fuit opinio, neque ab opinione recessit ipsa scribendi consuetudo, si Comicos excerpamus qui maledicendi studio longius processerunt.

QUÆNAM autem de poësi *dramatica* existimatio vestra est, scriptores Tragoediarum vel Comœdiarum Gallici? Quâ mente, quò consilio ad Theatrum plerique acceditis? Sic Poëma *dramaticum* suscipitis, ut opus plenum quidem industria, sed fructu vacuum, nisi qui ad utilitatem vestram redundet. Sic in scenam conscenditis, ut in locum sublimem, ubi vestrum ingenium fiat citò conspicuum; unde fama vestra possit agili penna tollere se, atque in omnes orbis eruditi partes convolare. Vobis satis esse creditis in eximio Poëtarum *Dramaticorum* ordine censerî, parum solliciti quem deinde locum in bonorum civium numero obtineatis. Quod dixit Horatius; *aut prodesse Poëtas velle, aut delectare*, sic interpretamini, ut relictâ priori parte, quæ potior est, alteram, quæ deterior, sequamini unicè, vel præcipuè; & oblectationem popularem utilitati publicæ anteponatis. Inde quid fit? Ut universa Poësis

*Dramatica* ductu vestro aberret à scopo, & quæ in eo tota debet esse ut oblectando profit, in hoc tota sit ut placeat; vel si placendo noceat. Quod ne temere dictum putetis, singulas *Dramatum* species mecum animo percurrite.

Nihil equidem est quod in Tragediâ Atticam gravitatem sententiarum & sermonum venustatem hodie requiramus. Numquam illa sensit superbis, numquam elegantius dixit. At quantum de pristina sua remisit severitate disciplinæ! Quæ Athenis manum admovebat satandis ægri pectoris affectibus, nunc corrumpendis adhibet. Quæ in Atheniensium animis exinguebat regnandi sitim, quâ nullus esset moribus Reipublicæ capitalior, nunc in Gallorum sensibus geminam accendit cupiditatem, quâ nulla sit pestis vel rei Christianæ funestior, ardorem ultionis dico, & amoris libidinem.

Téne, *Corneli Magne*, vir ad laudem Tragicæ carminis præcreare, in quo natura experiri velle visa est quatenus humanum ingenium possit cogitando assurgere, téne in crudis civium tuorum pectoribus exitialem singularium certaminum furorem accendisse, pravo Herois Hispanici exemplo, quasi non satis ipsi sua sponte furerent? Non te puduit cum tua præferre juvene Roderico, & ejus patre Didaco, debili sene, arreptum ex Tragediæ manibus pugionem tradere in tuorum manus fratrum, qui ad ulciscendas auctorita-



speraret per ejus vestigia consequi, aliam prorsus viam sibi aperiendam esse ratus est.

*Cornelius* grandia sectatus perculerat mentes ambitiosâ quadam majestate sententiarum: *Racinius* mollia sectatus animos suavi quadam affectuum teneritudine demulsit. Ille suos heroas supra humanæ sortis præstantiam extulerat: hic suos demisit ad omnem humanæ fragilitatis debilitatem. Ille suum cuique proprium & gentile asseruerat ingenium pro vario terrarum & gentium discrimine: hic neglectâ regionum discrepantiâ & nationum, Gallicam omnibus, id est teneram, blandamque attribuit indolem. Alter sc̄eminis quoque spiritus afflaverat Heroum graves & Tragicos: alter viris etiam sensiculos Heroïdum inspiravit dulces & Elegiacos. Ille in aulas Regum animo penetraverat, ut ibi prudentiæ politicæ machinationes detegeret: hic in puellarum cœtus cogitatione irrepsit, ut illic artis amatoriæ calliditates deprehenderet. *Cornelius* sublime volans, ut Jovis ales, inter fulgura & fulmina ludibundus omnia fragore compleverat: *Racinius*, ut Veneris columbulus, circùm rosaria & myrteta volitans, omnia gemitibus personuit. *Cornelius* denique, quod magis arduum, magnisque casibus obnoxium est, altiùs semper nitendo & admirationem movendo, quæsierat plausum, & vel ab invitis extorserat. *Racinius* contra, quod magis pronum est, magisque tutum, rariùs assurgendo, scitè volatum sustinendo, mox ad

amores revolando eblanditas est suffragis, & à volentibus obtinuit. Neque verò in ventos abierunt ejus suspiria; per ea factus est voti compos. Suas quidem Cornelio non excussit laureas; sed myrteas ei coronas sui passim heroes, ac suæ potissimum heroides certatim intexuerunt. Non expulit æmulum regno, sed Theatri solium cum eo paritatus est. Divisum imperium cum fulminante Aquilâ Columbulus impetravit. Id autem potuisse consequi quanta laus! quanta victoria! qualis triumphus!

SCITIS, Auditores, quis hujus victoriae fuerit exitus. Felix audacia multos habuit imitatores. Istud amatorium Tragediæ genus, licet ab auctore suo piâ Theatri desertione damnatum, amplexi sunt plerique omnes, qui postea cothurnum induerunt. Neque illos ab incepto revocaverunt leges *Dramaticæ* complures, quæ fuerunt amoris causâ violandæ.

NON eos repressit adhibenda in actione unitas, & unitatis amica simplicitas. Sæpe geminauerunt vel diviserunt actionem inductis rivalitatibus, & suas Eriphilas cum Iphigeniis, suas Aricias cum Phædris violenter intricaverunt.

NON eos coërcuit retinenda argumenti veritas, maximè ubi adjuncta est veritati celebritas. Argumenta vetera & nova, novis & ignotis derurpaverunt fabulis; & suos Hippolytos insanis amoribus implicuerunt.

NON eos prohibuit servanda in omnibus,





non fugiendo, sed occurrendo, non ignorando, sed experiendo. Sic Tragici veteres ingenitum animi terrorem sanare aliquando voluerunt, maxima proponendo infortunia, quæ usurpata oculis, ipso videndi usu admitterent formidinem, & ad toleranda patienter minora fortunæ incommoda excitarent.

AT procul absit ejusmodi curatio ab insidiosis illis animi commotionibus, quas natura cupidius appetit, quarum illecebra vincenda est non occursando, sed averfando; non sentiendo, sed carendo, atque, si fieri potest, nesciendo.

Hoc illis persuasissimum erat prudentissimis scenæ Atticæ magistris, qui nihil amori, in immenso illo Tragœdiarum suarum numero, indulgendum esse censuerunt. Illum quippe numquam Æschylus, semel Sophocles, iterum Euripides admisit: quamnam autem admisit cautione? ut veniret sine blanditia, sine illicio; & cum horrore, cum supplicio abiret.

DANDA fortè fuit Poëtis nostratibus venia, si talem in Theatrum amorem producerent. Verum heu! qualis per eos advehitur? Cum toto Charitum choro, cum omni affectuum lenocinio, cum universo illecebrarum veneno. Sua quidem Amor gemebundus in Theatro nostro palam ostentat vulnera, sed ut lædat, non ut sanetur. Suas fundit lacrymas, sed ut accendat ignes, non ut restinguat. Suos queritur dolores, sed ut desiderium acuat, non ut pœnitentiam extimulet.

O TRAGOEDIA! infelix Tragœdia! quæ lugendis alienis calibus inventa es, tuos ipsa casus luge. Recordare qualis olim fueris apud primos parentes tuos, quàm apud Æschylum casta & animosa; quàm apud Sophoclem severa & virilis; quàm apud Euripidem misericors & humana. Vide qualis hodie sis apud feros nepotes tuos; quàm per amores corrupta & corruptrix, hoc vide: & erubescere, si tua agnoscis opprobria; si tua sentis vulnera, ingemisce.

SED dum Tragœdiæ vicem doleo, Comœdiam videre & audire mihi videor, quæ se nobis offert hilari vultu, & suam sibi fortunam, veteri sorte multò meliorem, gratulatur. Neque verò se talem esse qualis fuit quondam apud Aristophanem, cùm civium culpas castigaret majore culpâ, & urbis proceres nominatim, vel male dissimulato nomine maledictis proscinderet, neque qualis extitit apud Plautum; cùm impudica & impudens salibus obscœnis, ex macello petitis, amphitheatra conspergeret: neque qualis per Terentium inducta est, cùm meretricios amores, advectos è Græcia apud juventutem Romanam enunciaret. Se nunc talem prodire, qualem esse deceat apud populum elegantem, urbanum, verecundum, emendatam moribus scilicet, & morum emendatricem. Videamus sanè quid bonæ frugis afferat nova ista morum magistra. Dic nobis, ô bona, quid apud nos pravi moris emendes?

EGO Juvenes politulos nimia vestium laxitate diffuentes coërceo. Justa coërcitio, si

nihil fuerit in licentia Juvenili severius cōtr-  
cendum.

**EGO** feminas, eruditionis, vel exquisitæ locutionis gloriam captantes reprehendo. *Æqua* reprehensio, si nihil sit in muliebri superbia, vel petulantia magis reprehendendum.

**EGO** in homines humani generis ofores animadverto. Digna forsitan animadversio, si priùs in homines humani generis corruptores fuerit animadversum.

**EGO** homines imaginario conflictatos corporis morbo ad sanitatem revoco. *Egregia* sanatio. Si homines vero laborantes animi vitio antea fuerint ad sanitatem revocati.

**EGO** maritis & uxoribus, aliisque hominibus erudiendis Scholam multiplicem instituo. Magnifica prorsus institutio, dum ad bonos mores erudias. Quid si autem, (dicam enim quod non spectavi quidem, sed de te sæpius inaudivi) Quid si in tua multiplici Schola homines ad nequitiam magis, quàm ad virtutem instituas?

**QUID** si juvenuli & adolescentulæ per te condiscunt simplicitatem animi exuere, furtivos ignes alere, connubia ex libidinis consilio, non ex parentum judicio contrahere?

**QUID** si per te edocentur nuptæ conjugialis pacti jura infringere, maritorum vigiliantiam fallere, maritos modis indignis illudere, à maritis pœnas injuriarum, quas acceperunt ipsi, non intulerunt, per summam contumeliam repolcere?



pleraque vitia in se uno complexus; tam falsus quàm Aristophanes, nec multò magis aliquando in salium delectu castus & severus. Tam ingeniosè festivus quàm Plautus, nec minus interdum scurriliter jocosus. Tam intelligens morum quàm Terentius, nec minùs in amorum corruptelis frequens. De quo verè & jure ambigas naturàne sit melior, an arte? Optimus utrâque, & utrâque pessimus; tantòque pejor, quantò melior, quia optimo nequitiaë artifice nihil pejus.

**ACCUSENTUR** post eum, qui cùm ejus virtutes non possent imitando exprimere, vitia æmulati sunt, & superaverunt omni verborum obscœnitate; neque intellexerunt se laudem petere ab eo facetiarum genere, in quo quantum famæ quis colligit, tantùm habet infamiae.

**ACCUSENTUR** etiam qui cùm apertè spurcidi verècundarentur esse, turpes sententias involverunt ambiguis vocibus, tanquam honesto velo, sed tenui & pellucido; neque animadverterunt turpitudinem quæ se latendo prodit, & prodendo lateat, vulgò plus habere periculi, quàm quæ nuda prodit; quoniam hæc offendit oculos, dum vult videri; illa, dum latere vult, oculos invitat.

**ACCUSENTUR** illi quoque, suo licèt absoluti judicio, qui cùm egregiè philosophentur sub palliolo comico, & jocos sola urbanitate tinctos facillè possint offerre, se minùs comicos fore putant, nisi popello se approbent aliquo proci dicto, & risum petulantem excitent. Ne-

que satis reputant, quibus se placere deceat; neque satis attendunt, in civitate bene morata nullum cujusvis generis spectaculum dari oportere, quod non sit bene moratum ex omni parte, & ad censuram vitii, vel ad commendationem virtutis elaboratum: qui secus faxit, illum à fine, & sibi & Poësi *Dramatica* constituto recedere cum noxa & flagitio.

QUONAM igitur pacto se culpâ liberabunt *Dramatum* Musicorum auctores? An se Poëmata recte morata in Theatrum edere affirmabunt? Fatebuntur ultro quidem se non morum esse censors admodum severos: sed negabunt id sibi propositum esse, ut vitia in Theatro castigent. Id unum se dicent eniti, quod à primis *Dramatis* Lyrici repertoribus tentatum est, ut spectaculum concinnent recreandis animis appositum. Enimvero Theatrum suum esse horto regio, vel publico simile, qui non alat vulgò arbores fructiferas; sed in quo directæ in ordinem platani, distinctæ floribus areolæ, aquæ salientes fontibus, avibus resonantes arbusculæ, spirantes in marmore imagines, omnia denique sint ad elegantiam & oblectationem composita.

NON quæro ex peritis istis elegantiarum & oblectationum artificibus licueritne chorum Tragicum, ex quo Musicum *Drama* natum est, deducere ab officio suo, id est à commendatione virtutum (nam hæ fuerant ejus partes) & ipsum ad nugas amatorias traducere? Esto potuerint illi sine culpa fundum naturâ suâ frugi-

ferum conferere infœcundis arboribus, & ad steriles delicias convertere. Verùm an licuit eundem spargere floribus veneniferis, & plantis nocentibus fœcundare? Et verò fingamus eos, in horto illo suo regio, vel publico, Scholam instituere non Platoniam (qualem in umbrosis Academi hortis positam fuisse legimus) sed Epicuream, qualis ante ipsum natum Epicurum, in hortis illis Semiramidis pensilibus adornari potuit.

IN ista, quam designo, hortensi Schola sedeat Voluptas gramineo fulta toro, vernis coronata rosis, Lyram sinistra, poculum melle delibutum dexterâ manu præferens. Circùm supràque caput ejus volitent denso examine pharetrati Amores. Ante illius pedes jaceat humana Ratio floreis religata nexibus, & epoto calice mellito semisopita. Adsint ex cunctis orbis terrarum partibus Heroes & Heroïdes amatoriis quondam artibus insigniores. Conveniant ipsi Dii, Deæque omnes, quos fabula toto passim disseminavit mundo, & Cupido sui ardoribus inflammavit. Convocentur ad istam amœniorem Scholam, & admittantur homines utriusque sexûs, juvenes præsertim ac puellas, adhuc rudes amoris, sed jam dociles. His omnibus Voluptas sua dicter præcepta quæ ferme talia sint, carpere quoscumque flores obvios, & iis, antequam marcescant, caput redimire. Occupare delicias præsentis, & quid vehat hora sequens, numquam prospicere. Obscundare cupidinis suaviter iovi-

tantibus, & rationis aliò vocantis monita obferatis auribus prætereire. Indulgere amoribus & in his omnes vitæ beatitates collocare. Hæc documenta Voluptatis delicatiffima, teneris inclufa verficulis, argutis modulata fidibus excipiant Sirenes canoræ, & in medio faltantium choro liquida voce concinant. Eadem cantitent pascuis egressi Pastores & Nymphæ; sylvis educti Fauni & Dryades; aquis emerfi Tritones & Naiades; delapsi è cælo, advefti ex Orco, Dii superi atque inferi; omnes pariter ad recolendam fuorum memoriam amorum evocati. Interea blandis resonent omnia fufpiriis; & amorem volucres, amorem Zephyri, amorem rivuli, amorem saxa ipfa fufpirare doceantur.

VESTRAM fidem, AUDITORES, quam & qualem morum disciplinam habebimus, in ifta, quam fingo fub magiftra Voluptate, Schola? Quid me autem dico fingere, cùm fimulem nihil, & multa diffimulem? Arguant me erroris, vel calumniæ, fi audent qui fcribendis, vel modulandis *Dramatibus* Lyricis calamum, vel citharam commodant. Doceant ipfi numquid fit in affectibus fuave, in fententiis tenerum, in verfibus blandum, in numeris molle, quod ad titillandas aures, ad capiendos animos, ad fopiendam rationem, ad exfufcitandam cupiditatem non adhibeatur.

ERGO illud erat in Theatri fati, ut doctri-  
nam Epicureâ disciplinâ magis voluptariam admitteret aliquando, & palam omnibus combi-



bendam proponeret? Ad hoc igitur estis instituti, *Dramatum* Lyricorum opifices, ut in Republica Christiana Scholam instruatis non impuratam quidem obscœnis carminibus, sed cantilenis mollibus infamatam? Ideo vobis Musa versus annuit faciles, numerosos & modulationi habiles? Ideo vobis Musica Orpheos addidit vocales, argutos, & omnium scientes modulationum? Ideo vobis *Scenographia* pictores adjunxit ædificiorum, hortorum, variorumque mundi vultuum imitatores solertissimos; & remota admovendo, propinqua removendo, peritos scenam extendere prodigialiter, nec minùs gratum, quàm obstupendum oculis errorem objicere? Ideo machinandi ars vobis dedit arcanis motibus universam rerum naturam arbitrio vestro vertere, & tempestates ciere, tonitrua conflare, maria subruere, inferos referare, Cœlum terris miscere, ut vehementiores in animis procellas, atrociora incendia, funestiora naufragia excitetis? Tantisne fuit certandum tot artium miraculis, ut pudorem naturâ suâ tam fragilem expugnaretis, profligaretis, extingueretis?

VERUM abstinence objugare pluribus *Dramatum* Lyricorum auctores, quorum multos habemus se confitentes reos. Illum certè, qui fuit Melici poëmatis in Gallia quasi parens (a), scimus industriæ suæ nimium facilis, nimiumque felicitatis pœnituisse, serò quidem, sed aliquando tamen, & partas sine sudore lauros suis postmodum fletibus irrigasse.

(a) D. Quinault.

ALTERUM verò (a) in omni ferme poematum genere versatum cum pari laude & censura, sed in hoc laudatum multò sæpius quàm reprehensum, audivimus cum ejuraret opera Theatri Lyrica, quòd eorum doctrinam doctrinæ Christi adversa fronte repugnare intelligeret. Utinam idem intelligerent reliqui scriptores *Dramatici*! Si tamen ad pœnitendum satis est (in hominibus præsertim Theatro deditis) suam culpam intelligere.

QUIS enim credat Actores quoque sive Tragicos, sive Comicos, sive Lyricos, non agnoscere se Theatri corrupti aliqua parte reos? An possunt nescire, nisi suæ sint artis nescii, quantum ad scenæ corruptelam artificio suo conferant? Nonne id omnino sunt in eorum manibus Comœdiæ & Tragœdiæ, quod in perita sagittarii manu arcus & sagittæ? Non fabricant ipsi quidem tela Cupidinis lethifera; sed illa intendunt lacerto, dirigunt oculo, & toto adnixi corpore jaculantur.

TANTO igitur sunt nocentiores ab actione sua, quantò sunt in agendo solertiores. Nisi fortè suas vires dissimulent, suamque celent industriam; quod ipsos sæpe quidem facere deceat, sed aliquando facere vix credibile est. Quotus enim quisque illorum est, quid in exhibendo *Dramate* quamlibet lascivo & nocivo, non explicet quicquid solertiæ vel accepit à naturâ, vel acquisivit ab arte, vel usu comparavit? Si quid in jocisturpiter ambiguum est, si quid

(a) *M. de la Motte Houders.*

in affectibus molliter tenerum, nonne in eo sibi actor placet maximè, & aliis placere nititur? Nonne ad carminis blandimenta novas addit, si potest, gestûs & vocis blanditias, ipsosque auctores conatur illecebris vincere, ut in agendo plus ipse, quàm illi in scribendo, sapere, & sentire videatur?

IN qua nihil Actoribus concedunt Amazones illæ sagittandi peritissimæ; foeminas dico, quæ in Theatro personas cum viris homicidas, id est, amatorias sustinent. Nam quid omitunt illæ, ut prodeant in scenam cum superbissimo & mollissimo vestium ac pigmentorum ornatu, cum omnigeno telorum apparatu, instructæ ad feriendos oculos, & ad figendos animos expeditæ? Quanto laborant studio, ut nullum intorqueant telum *imbelle sine ictu*? Quàm multa sæpe vulnera uno eodémque telis coniectu inferunt? Meminisse horret animus de cruentis illis Circi Romani spectaculis ubi Gladiatores, non singuli cum singulis commissi, ut olim, sed turmatim congressi, & cæsi procumberent. Tanta fuit apud quosdam Cæsares humani sanguinis vilitas! An maior est apud nos animarum æstimatio & caritas? An pauciores in Amphitheatro nostro cadunt animæ telis Cupidineis sauciatae, quàm in Arena Romana sternerentur corpora ferro gladiatorio contrucidata? Quis autem tantam, tam lucuosam animarum stragem fieri dixerit sine Actorum culpa atque gravissima? Nisi forte in bello civili & interecino Ducum arma mi-



una sollicitudo nihil curare, unus labor tædium fallere; nunc ad convivium, nunc ad colloquium, modo ad mensam aleatoriam, modo ad scenam Theatralem affidentes sine consilio, sine judicio, sine fructu, imò quicquid sibi perit temporis in spectaculis, id omne lucro apponentes.

**QUINAM** postea? Homines negotiis privatis, vel publicis immerfi ac prope obruti; perpetuis jactari curarum fluctibus, & incerto fortunæ turbine abrepti; divertentes ad Theatrum tanquam ad portum, ubi quiescant paululum, & unde aliena spectent naufragia; mox ad suas procellas, ad suos scopulos, ad sua pericula se præcipiti cursu referentes.

**QUINAM** præterea? Homines rixis vexati domesticis; nusquam pejùs habitantes, quàm apud se; Comœdiam assiduè vel Tragœdiam agentes cum uxore, cum liberis, cum famulis; atque ut scenas ædium privatas declinent, ad scenam Theatri publicam confugientes.

**QUINAM** porro? Homines omnis & nullius ordinis, quos neque bonos dixeris, neque malos, neque leves, neque graves, neque otiosos, neque laboriosos; sed consuetudini tanquam legi servientes; alieno viventes exemplo; alieno judicantes ingenio; sic ad Theatra, ut ad Tempia; sic ad fabulam comicam, ut ad sacram concionem, religione pari, vel pari considerantiâ, id est, nullâ, se conferentes.

**EJUSMODI** spectatores quis magnopere laborare credat utrum bene an malè memorata sit

Thea-



scribendo insaniant: sint Auctores, qui ultro & per se in repræsentando lasciviant; an se ideo positos extra culpam arbitrabuntur Spectatores, qui utrosque placidè ferunt? Nonne Spectatorum est, & coarguere Auctorum insaniam, & Auctorum lasciviam castigare? Qui sibi hoc juris vindicant in iis quæ pertinent ad Poeticam, vel Histrioniam, cujus sunt sæpe rudes, cur non utuntur jure suo in iis quæ spectant ad morum disciplinam, cujus debent esse, & vulgò sunt multò magis intelligentes? Si quis Poëta claudicat in versu; Si quis Auctor offendit in gestu, continuo sibilus vel clamor ex omnibus amphitheatri partibus tollitur. Cur non reclamatur item in sententia Poëtæ libidinosa? Cur in actione histrionis inverecunda filetur? An pudor est imitari pulchram Atheniensium severitatem, qui cùm audirent laudari in Theatro divitias, & in iis summi boni rationem constitui, tantâ exarserunt indignatione, ut non expectatâ, quæ mox sequebatur, pravæ doctrinæ censurâ & pœnâ, subitò (a) *adjiciendum est Actorem, & carmen, omnes uno impetu consurrexerint.* An Gallos cives & Christianos in redarguendo flagitioso carmine decet esse civibus Atticis remissiores? Cur non pari libertate improba Scholæ scenicæ documenta retundimus?

CANTAT aliquis desipiendum in juventute; sapientiam senectuti reponendam. Quin exclamamus illico? Apage te cùm tua nefaria disciplina. Nulla ætas debetur insanis, Nasci-

(a) Seneca Epist. 115.

mur ad sapientiam; semper sapere decet, nunquam licet desipere.

DOCET aliquis non repugnandum amori, quoniam ad illum naturæ lege, & quadam fati necessitate trahimur. Quia respondeamus? Amove te cum tua pestifera doctrina? Nullam agnoscimus undecumque natam peccandi necessitatem; liberi sumus; amamus libere; & libere delinquimus.

INVIDET aliquis suam brutis animantibus fortem, quibus sine pœnitentiâ licet suis cupiditatibus indulgere. Quin vociferamur? Facesse proci cum tuo voto impurissimo. Brutis relinquatur quod brutum est. Homines sumus, nec pœnitet esse; humanæ conditionis dignitatem ignoscimus, nec adicamus.

IN his aliisque voluptariæ Scholæ placitis, si validè reclamaretur à Spectatoribus, an ea nobis obtruderent Actores sexcentis interpolatis verbis? An ea nobis Actores recitarent novis usque & usque molita corruptelis? Nonne sua recuderent alteri carmina? Nonne suam alteri restringerent Actionem? Non mallet utrique nobis placere; & prodesse cum suo lucro, & bonâ sumâ, quàm displicere & nocere, cum suo damno & infamiâ?

VESTRUM est igitur, Spectatores, (quoniam & Auctoribus probè scribendi, & Actoribus probè agendi legem ponere censurâ vestrâ potestis) vestrum est in primis, & præ cæteris emendando Theatro curam impendere. Corrigatur vestrâ severitate, quod indulgentiâ ves-



tra depravatum est. Per vos fiat idonea virtuti Schola, quæ propter vos facta est apta nequitiae officina. Prohibete ne quid Auctores in scenam proferant, quod sit castis auribus reformidandum. Cavete ne quid Actores in actione scenica præ se ferant, quod sit frontibus verecundis erubescendum. Providete, ne Scena, quæ naturâ suâ innocens est, alieno scelere fiat nocens, & animarum rea. Date hoc patriæ, date hoc Religioni, ut si quod in republicâ Christianâ habendum est Theatri spectaculum, illud & bono cive, & homine Christiano dignum habeamus.

¶¶¶¶¶

## ORATIO VI.

### DE LIBRIS,

Qui vulgò dicuntur

### ROMANENSES.

**Q**UÆ rerum conversiones in orbe terrarum, sæculis labentibus, evenire solent, hæc ferme in litterarum orbe, annis volventibus, accidere videmus, EMINENTISSIMÆ S. ECCLESIE ROMANÆ CARDINALIS, ILLUSTRISSIMI ECCLESIE PRINCIPES, PRÆSIDENTES ILLUSTRISSIMI, AMPLISSIMI SENATORES, CÆTERIQUE OMNIUM ORDINUM AUDITORES ORNATISSIMI. In orbe terrarum gentes gentibus, urbes urbibus, familiæ familiis, ita succedunt, ut aliæ in aliarum possessionem, splendoremque deveniant. In orbe litterarum artes artibus, disciplinas disci-